



trahendo matrimonio eundem esse homini, quam caeteris animantibus, finem, variis modis doceamus.

§. IV.

Finem autem, ne qualis sit ignores, causam dicimus, cuius gratia aliquid suscipitur; extremus autem ille est, quo referuntur et cuius causa fiunt omnia. Hoc praemisso, ut ordinem dicendorum et libelli diuisionem breuiter indicemus, primo vulgare illud: sobolis procreationem vnicum esse legibus diuinis probatum ac praeceptum finem, refutabimus; posthaec remedium vitionis, ut theologice loquamur, aequae legitimam esse matrimonii causam, probabimus; tertio denique dissentientibus, qui delectationem carnis causam, quare matrimonium ineatur, nefariam putant, respondebimus.

*Ordo dicendorum et Disputationis diuisio.*

§. V.

Primum in sacris litteris, ut homines sobolis causa matrimonia quaerere debeant, nullibi praeceptum, cum, quae a Theologis in eam rem loca afferuntur, id non disertis verbis iubeant, sed haec doctrina, per ambages demum et longos seruites, ex quibusdam dictis eliciatur, quae argumenta ex longinquo petita periculosa nec tam firma, quam directa legum praecepta esse, vnusquisque facile concedet. Nam quod illa Geneseos verba, in quibus praesidium totius doctrinae suae collocarunt, attinet, *Crescite et multiplicamini*, non defuerunt, qui, an legem contineant aut quicquam praecipiant? dubitent, eamque potius gratulationem et benedictionem, qua Deus nouis coniugibus fausta quaeuis precatus sit, putarent, uti et nunc sacerdos in nuptiarum sacris ea pronuntiare et nuptis adclamare solet. Nobis hebraica non doctis, si, quas ex translationibus seu versionibus Bibliorum hausimus, coniecturas effari licet, non legem haec verba, sed carmen putauimus et quasi effectricem quandam incantationem, qua Deus generandi vim corporibus primorum parentum in seuit at efflatu suo quasi indidit. *Foetificate, ait, et multiplicamini.* Creatoria haec verba sunt,

*Sobolis procreationem primum matrimonii finem esse ex sacris litteris non cognoscitur.*

B

non